



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 223. Vtrum anima sit corpus, & vtrum anima tum hominum, tum brutorum animalium sit alium sit aliquid incorporeum, & subsistens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

disputat de formatione primorum hominum secundum corpus, ac de eorum statu innocentie in paradiso. Nos hoc tractatu decimo quinto cum S. Thoma agemus de anima, præsertim rationali, eiusque creatione. Sed quia tractatus de anima spectat etiam ad philosophiam, ac nos ibi de plerisque quæstionibus ex professo disputauimus tum in tractatu de anima, tum alijs locis, ideo hic breuiter solum proponemus doctrinam S. Thomæ, ac indicabimus loca, in quibus in Philosophia, & etiam in tractatu de actibus humanis examinauimus plerasque quæstiones. Titulos nostrarum quæstionum ostendet index initio propositus. Tractatu deinde sequenti, si Deus voluerit, fusius examinabimus quæ spectant ad formationem hominis secundum corpus, & ad conditionem primorum hominum in paradiso in statu innocentie.

QVÆSTIO CCXXIII.

Utrum anima sit corpus, & utrum anima tum hominum, tum brutorum animalium sit aliquid incorporeum, & subsistens?

S. Thom. q. 75. art. 1. 2. 3

A Rt. 1. quærit Sanctus Thomas utrum anima sit corpus?

Respondet, quod aliqui antiqui Philosophi, quia non potuerunt se supra imaginationem eleuare ad cogitandum aliud, quam corpora, dixerunt sola corpora esse res, & entia, & id, quod non est corpus, nihil esse, & consequenter docuerunt animam esse corpus.

2. Ut rejiciat hunc errorem Sanctus Thomas, supponit primò ex communi hominum sensu, quod aliqua corpora sunt viuentia, & hæc dicimus animata, aliqua sunt non viuentia, quæ vocantur inanimata.

3. Supponit secundo, quod vita præcipue manifestatur per cognitionem, & motum, ac proinde res dicuntur viuere ex eo, quod cognoscant, vel moueant se ipsa aliquo speciali modo. Hanc doctrinam Sancti Thomæ explicans in philosophia, quæst. 3. de anima dixi viuens definiri, quod secundum suam naturam mouet se ipsum, determinans varios motus secundum opportunitatem. Vita igitur in actu secundo, siue operatio vitalis, est cognitio, vel motus, quo res mouet se ipsam, determinando varios motus secundum opportunitatem.

4. Supponit tertio, quod non quodlibet principium vitaliter operandi est anima. Sequeretur enim, quod oculus esset anima, cum sit principium videndi, autis esset anima, cum sit principium audiendi, idemque dic de alijs instrumentis animæ; sed est falsum, &

contra communem sensum, quod oculus sit anima, auris sit anima: ergo.

5. Supponit quarto animam esse, quæ in corpore viuente, & animato est primum principium viuendi, & exercendi operationes: & quia cor licet sit quoddam principium vitæ, non est primum principium vitæ, ideo cor non est anima.

6. His suppositis, probat animam non esse corpus. Nam corpus viuens non viuit se ipso, sed est in potentia, & indifferens ad hoc, ut sit viuens, vel non sit viuens, possit, vel non possit exercere operationes vitales, & cum moritur animal, corpus non remanet viuens; ergo corpus constituitur viuens per aliquem actum, per quem constituitur in specie corporis viuentis; sed hic actus est primum principium viuendi, & exercendi operationes vitales, & hunc actum vocamus animam; ergo anima non est corpus, sed actus corporis organici; e. g. anima hominis non est corpus hominis, eiusque partes organice, puta oculus, auris, cor, sed est actus, quo corpus constituitur viuens, & non mortuum, oculus constituitur viuens, & potens videre, non autem mortuus, & incapax videndi. Videri possunt quæ in Physica quæst. 4. & quæst. 5. de anima diximus contra sententiam recentiorum Atomistarum, qui dixerunt animas plantarum, & brutorum animalium consistere in combinatione corpusculorum, vel in corpore quodam tenuissimo, quod vocatur spiritus, ubi etiam soluimus argumenta contraria.

7. Art. 2. quærit, utrum anima humana sit aliquid subsistens, hoc est potens existere per se, & separatim à subiecto.

Respondet affirmatiue. Probatur: nam omnis forma, quæ habet potentiam, & operationem non receptam in materia, & in organo materiali, habet etiam esse independentem à materia, ac proinde per se subsistens; sed anima humana, & vniuersim omnis forma intellectiua habet potentiam, & operationem intelligendi non receptam in materia, nec in organo materiali: ergo. Probatur maior: nam operatio propria rei proportionatur naturæ eiusdem rei: e. g. quod habet operationem rationalem, habet etiam naturam rationalem: ergo quod habet operationem immaterialem, & independentem ab organo corporeo, habet naturam immaterialem, & independentem ab organo corporeo. Probatur iam minor, quod nimirum anima humana, & vniuersim omnis forma intellectiua habeat potentiam, & operationem intelligendi non receptam in materia, neque in organo corporeo, ac proinde incorpoream, & inorganicam. Intellectus enim est potentia incorporea, & inorganica; sed anima humana, & omnis forma intellectiua habet intellectum: ergo. Probatur maior: nam virtus discretiua aliquorum sensibilibus non est vllum ex talibus sensibilibus, sed est quid superius

perius, & alius ijs, quæ per talem virtutem discernuntur, ac diiudicantur: e. g. virtus tactiva, qua animal discernit qualitates tangibiles, non est vlla qualitas tangibilis, & neque est calor, neque frigus, neque humiditas, neque siccitas, sed est quid aliud, & perfectius calore, & frigore, humiditate, ac siccitate: similiter virtus visiva, qua animal discernit visibilia, non est vllum visibile, & neque est lux, neque color, neque albedo, neque nigredo; idemque valet de reliquis virtutibus sensitiuis exterioribus, imo & de interioribus; sensus enim internus, & communis, quo anima discernit sensationes sensuum exteriorum, non est vllus sensus externus, sed est aliquid superius sensibus externis: sed intellectus est virtus, qua anima discernit, ac diiudicat omnia corpora, penetrans eorum essentiam, ac quidditatem; ergo intellectus non est virtus corporea, sed est virtus superior, & altior quacumque corporea virtute; sed omnis virtus, quæ ad suum actum indiget organo corporeo, per quod operetur, & in quo recipiatur talis actus, est virtus corporea: e. g. potentia visiva est virtus corporea, quia ad videndum indiget oculo; ergo intellectus ad exercendum suum actum non indiget organo corporeo, per quod operetur, & in quo recipiatur talis actus: ergo est potentia, & virtus incorporea, & inorganica. Confirmatur primo: nam virtus perceptiva sensibilium non solum debet esse aliquid superius talibus sensibilibus, sed etiam, ut illa possit perfecte discernere, recipi debet in organo carente talibus sensibilibus: e. g. sensus tactus non solum est virtus superior qualitatibus tangibilibus, sed etiam debet recipi in organo carente illo sensibili, quod discernit, ideoque manus calida tangens aquam tepidam, quia habet in organo calorem, non sentit aquam ut calidam, sed ut frigidam, manus frigida, quia habet in organo frigus, non sentit aquam ut frigidam, sed ut calidam; similiter, ut visus discernat perfecte colores, oculus debet esse denudatus omni colore, præsertim connaturali, idemque dic de ceteris sensibus; sed intellectus est virtus perfecte discretiva omnium corporeorum, & materialium; ergo non solum non est vllum corporeum, & materiale, sed nec recipitur in organo corporeo, & materiali. Ab ipsa enim organi materialitate impediretur, ne posset discernere omnia corporea, & materialia.

3. Confirmatur secundo: nam sensibile, quod inest sensui secundum esse materiale, impedit, ne percipiatur sensu, non autem impedit, si sensui inest secundum esse immateriale: e. g. color si oculo inesset secundum esse materiale, impediret oculum à visione sui, non autem impedit, si inest secundum esse aliquantulum spirituale speciei visibilis: & quia potentia materiales habent in se ipsis esse materiale, ideo nulla potentia materialis

potest precipere vel se ipsam, vel suum actum, vel suam substantiam, & organum; sed intellectus reflexè percipit se ipsum, & suos actus, & etiam substantiam, in qua inest, nimirum ipsam animam: ergo intellectus non habet in se ipso esse corporeum, & materiale: ergo non est potentia corporea, & organica. Sed hæc fusius explicavi quæst. 31. & 32. de anima, ubi etiam solui argumenta contraria.

9. Articulo tertio quaerit, vtrum etiam animæ brutorum animalium sint subsistentes, hoc est potentes existere per se, & separata à materia.

Respondet, quod quidam antiqui Philosophi non distinguebant sensum ab intellectu, ideoque sicut censebant principium sentiendi esse corporeum, dependens à materia, & ab organo corporeo, ac non per se subsistens, sic existimabant principium intelligendi, hoc est formam intellectum esse corpoream, dependentem à materia, & non per se subsistentem. E converso Plato docuit intellectum differre à sensu, & existimavit, quod sicut potest intelligere independentè à corpore, & ab organo corporeo, sic potest sentire independentè à corpore, & ab organo corporeo. Hinc sequitur, quod etiam animæ brutorum, cum possint sentire independentè à corpore, possunt existere independentè à corpore, ac proinde sunt per se subsistentes, sicut anima hominis.

10. Contra hanc opinionem dicendum cum Aristotele 1. de anima tex. 12. 13. 14. & 15., & tex. 64. & 66. & 3. de anima tex. 6. quod sola operatio intelligendi potest exerceri independentè à materia, & ab organo corporeo, operatio autem sentiendi non potest exerceri independentè à materia, & organo corporeo, ac proinde sola anima humana, cum sit intellectiva, est per se subsistens, ac potest existere per se extra corpus, animæ verò brutorum cum sint purè sensitiuæ, non sunt per se subsistentes, neque possunt existere extra corpus.

11. Probatur: nam manifestè non possumus videre sine oculis, audire sine auribus, vel exercere vllam operationem sensitiuam, quin recipiatur in organo corporeo, & quin organum immutetur, recipiendo talem operationem: ergo anima purè sensitiua pendet à materia, & ab organo corporeo in omni sua operatione: sed quod pendet à materia in operando, pendet etiam in essendo, ac proinde non potest per se subsistere extra materiam; ergo animæ brutorum, cum sint purè sensitiuæ, non possunt per se existere extra materiam, ac proinde non sunt subsistentes, sed inhaerentes materiæ.